



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii
Apostolici, olim Ecclesiæ Venusinæ, ac deinde Æsinatis
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,

Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,
apprimè utile ...

In qua præter formulas Declaratoriarum Censurarum, ponuntur aliæ formulæ, tum Citationum, ac Monitionum pro validitate processuum requisitarum, tum Decretorum, aliorumve actuum ad opportunitatem, & ornatum materiæ incidentium; acceditque in calce Appendix miscellanea, plura, ad Gubernium ...

Monacellus, Franciscus

Venetiis, 1709

Decreti suspensionis ab audiendis Confessionibus contentæ in Constit.
Clem. X. Superna, Form. IX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62433](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62433)

Estantes, peccant mortaliter & spernunt præceptum Apostoli Timot. 2. ubi mandat quod nemo militans Deo implicit se negotiis sacerdotalibus, & ideo suspendendi sunt a Divinis: imò si sic suspensi, ter moniti non resplicant excommunicandi, & aliis penitentia arbitrio Iudicis puninendi sunt, per text. in d. c. consequens 88. dist. & cap. sed nec. Et secundum instituta, ne cler. vel Monach. cap. 1. & seqq. 14. 9. 4. & est communis opinio, Bellet. disq. cleric. par. 2. de pœn. cleric. §. 51. n. 2. & 3. Barb. de jur. Eccl. lib. 1. d. cap. 40. n. 128. Panimoll. d. dec. 71. n. 3. 4. & 5. Zecch. de republic. Eccl. tit. de cleric. n. 7. vers. quadragesimo primo non debent, Graff. de effect. cleric. effect. 6. n. 4. & 5. Pirhing. in jus can. lib. 3. tit. 50. n. 9.

Regulares vero cuiusvis Religionis, Ordinis, Societatis, & Congregationis sint, mercaturam, & negociationes sacerdotiales, exercentes, præfertim in Indiis excommunicationem latè sententiæ, & privationem vocis activæ, & passivæ, ac officiorum statim incurront, vigore Constit. Clem. IX. impressæ in Bullar. tom. 6. constit. 35. pag. 304. Verùm hæc Constitutio videtur restricta ad illos Religiosos missos, & commorantes in Indiis, tam in parte australi, quam septentrionali, ut percipitur ex illis verbis dispositive §. 3. ibi -- omnibus, & singulis personis, quæ ad Insulas, Provincias, & Regna Indianorum Orientium. Et sub nomine Missionariorum, aut quovis alio titulo pro tempore missæ fuerint,

aut in aliis partibus quomodolibet morabuntur sub excommunicationis latè sententiæ, ac privationis vocis activæ, & passivæ, & officiorum, tenore præsentium districtæ interdicimus, &c. Ideoque dicendum est, quod Regulares Europei, quatenus sint negotiatores, remaneant obstricti iisdem pœnis, quibus subiiciuntur Clerici sacerdotiales, ut affirmant DD. mox citati; præter alias à Constitutionibus proprii ordinis statutas pœnas.

De suspensione ab audiendis Confessionibus contenta in Constit. Clem. X.

Superna in Bullar. tom. 6.

Constit. 7. pag. 332.

Ad removenda dissidia, quæ sæpè oriebantur inter Episcopos, & Regulares super intelligentia, & executione privilegiorum, eis concessionum, circè prædicationem verbi Dei, & Sacramenti poenitentiae administrationem, Clem. X. hac sua Constitutione plura providè statuit, & inter cætera, quod possit Episcopus ex rationabili causa (Sedi Apostolicae, si eam sibi aperiri postulaverit, manifestanda) post quam Regulares ad confessiones Sacramentales audiendas approbaverit, illos suspendere. Quare cum de hoc sæpè contingat dubitari, aliqua, quæ justitiam, & rationabilitatem arbitrii Episcopi respiquant, notanda occurunt. Decretum autem suspensionis, sic concipi poterit.

Decreti Suspensionis

F O R M U L A XI.

A Trento, quod P. N. Ordinis N. Conventus N. conditiones, & monita sibi in approbatione ad Confessiones Sacramentales audiendas a nobis concessa, præscripta, & injuncta non servat, & ex aliis causis nobis notis animum nostrum dignè mouentibus, facultatem prædictam revocamus, & eum ab audiendis confessionibus suspendimus, & suspensum declaramus, & eidem intimari mandamus.

N. Episcopus N.

N. Adjutorius.

Monacel. Formul. Pars III.

O 3 SUM

SUMMARIUM.

- 1 *Facultas audiendi confessiones sacramentales, est danda in scriptis, & num. 2.*
- 2 *Episcopus potest Confessarium approbare absque examine.*
- 3 *Regulares, qui non habent requisita clem. dudum de sepult. non debent admitti ad Confessiones audiendas & si sint superiores, Episcopus si vult potest eos examini subicere, sicut, & Examinatores Synodales.*
- 4 *Causæ, ob quas Episcopus valeat Regulares ab audiendis confessionibus suspendere referunt, & n. 5.*
- 6 *Mulieres ingredientes Ecclesias, & accedentes ad recipienda sacramenta, pectore, & brachijs denudatis, graviter peccant, & redditur ratio.*
- 7 *Confessarii Regulares docentes propositiones laxas, sunt ab audiendis confessionibus suspendendi.*
- 8 *Episcopus simplici verbo, & absque ultra præcedenti monitione ab audiendis confessionibus suspendit.*
- 9 *Parochum tamen non suspendit sine scriptis, & sine expressione causæ, alijs personas contentas in c. cum medicinali de excomm. in 6. incurret, & affruntur rationes, & n. 10. 11. & 12.*
- 13 *Vicarius Generalis, ex officio suo, potest confessiones audire, si sit Sacerdos, & Confessarios approbatos, ab audiendis confessionibus suspendere, & num. 14.*

ADNOTATIONES.

CONDITIONES, ET MONITA. *Fa-*
cultas audiendi sacramentales con-
fessiones, icripto danda est, & ibi repeten-
da sunt monita, quæ ut habetur in Formu-
la, quam dedi tom. 1. tit. 8. form. 1. & in
Synodo fufus enucleanda, ne Confessarii tam saeculare, quam Regulares, suscep-
ti muneris partes non implentes, & obli-
gationes negligentes, clypeo ignorantiae,
& inadvertentiae excusare valeant:

ideoque laudabilis non est usus illorum Episcoporum, qui approbant Confessarios vivæ vocis oraculo, nulla tradita approbatione testimoniali in scriptis, nam licet possint prætermittere examen personæ probandæ, quando de illius idoneitate ipsi aliunde constat, prout colligitur ex verbis Concilii cap. 15. sess. 23. ibi—aut alias idoneus judicetur, tamen debet constare quod talem sic judicaverit idoneum, & an simpliciter, an ad tempus, an pro maribus, & non pro mulieribus, an pro Villis, an pro Civitate; & ad evitanda alia inconvenientia, quæ ex tali verbali approbatione oriri posunt, siveque utilis, & laudabilis est mos talem facultatem, semper scripto tradere, & in Cancellaria in libro ad hoc retento registrare, ed evitandum vitanda, ut monent, & laudant, Pac. Jord. elucubr. tom. 1. lib. 3. tit. 4. nu. 140. Barbos. in dict. cap. 15. nu. 33. Passer. de stat. hom. tom. 2. q. 187. art. 1. n. 206. Verum est enim, quod dicitur.

Dictio dicta perit, littera scripta manet.

Item in approbatione, debet Episcopus animadvertere, quod non sufficit Regularem præsentatum esse doctum logicum, Physicum, Methaphysicum, aut etiam Theologum scolasticum; sed debet sibi constare per examen, vel aliundè, esse idoneum pro administratione sacramenti poenitentiae; quia plures dantur scolastici, qui necessaria protali munere non habent, nec sciunt, ut testatur ex certa scientia, & experientia Pasqualig. ad Lauret. de Franc. par. 1. n. 1398. in fin. quod etiam comprobavit Thom. à Virg. Maria in tract. concord. Evangelic. in Dominic. infr. oct. Epiphan. pag. 87. ubi hæc habet sunt Philosophi, & Theologi, sunt Medici, & Juristi, sunt magistri nostri per plurimos ætatis annos curiosissima indagantes, naturali lumine subtilissima asequentes, & quæ sunt spiritus Dei prorsus ignorantes. Ideoque Regulares præsentati, nisi habeant requisita Clementina Dudum & statuimus de Sepult. & de illis eorum superiores præalentantes testentur, ut in Formula, quam dedi tom. 2. tit. 16. form. 16. non debent approbari; ne Episcopus se exponat imprudentur periculo, admittendi non idoneum ad tantum sacramentum admini-

gran-

strandum, Passerin. loco citato num. 205. Si verò Regulares, qui ad confessiones audiendas approbati cupiunt, essent Prelati ordinis, puta Generales, & Provinciales, Priors, Guardiani, & si finiles, vel etiam Examinatores Synodales: potest eos Episcopus, si vellet examinare; vel illos sine examine approbare, ubi idoneitas sit notoria: nam alia est ratio exteriores regiminis, & alia judicij fori poenitentialis, in quo nulla eis datur jurisdictio, sine approbatione Episcopi, ut bene adverit Passerin. de stat. hom. to. 2. quest. 187. art. 1. n. 23. Et plurib. seqq. Ricc. dec. 22. n. 2. & 8. par. 2. ubi de Examinatoribus Synodali bus, & graduatis: non obstante privilegio, etiam Cruciatae, ut plenus novissime declaravit Innoc. XII. sua constit. quæ incipit: cum sicut edita 19. Aprilis 1700.

Et ex aliis causis nobis notis. Præter inobseruantiam conditionum, & monitionum in re gravi, & notabili, plures alias potest causas habere Episcopus, propter quas, approbationem concessam Regularibus juste valet revocare, v. g. si deficit probitas vitae, si audiant confessiones Mulierum de nocte, vel extra sedem Confessionalem; vel si in Confessionali, nulla tamen interposita crata: vel tempore infirmitatis clauso ostio celæ infirmæ, si audiant confessiones sacerdotalium extra Ecclesiam, & in Cellis Monasterii, sine aliqua justa, & rationabili causa: si Eleemosynam, aut aliquid aliud sibi dari petant, & per artes extorqueant si sint de re venerea, aut sollicitatione, vel revelatione confessionis, aut alio delicto dissimilati, si Domus, & convivia sacerdotalium frequentent. Una inquam ex his causis concurrente, non est dubium, quin Episcopus Confessarium Regularem juste, & rationabiliter suspendet: non enim est idoneus absolute, & vere qui nos est integrè idoneus, quia malum ex unico defectu, & bonum ex plenitudine, & integritate resultat; unde is, cui vel scientia, vel vita probitas deficit non est idoneus absolute. Cum ergo Episcopi judicium de idoneitate, tam ex dispositione Concilii, quam citatæ Bullæ requiratur, sub hoc judicio cadit quidquid est necessarium ad hoc, ut appro-

bandus sit idoneus, scilicet, scientia, bonitas, peritia, discretio, & prudentia, & sic qui patitur unum ex his defectibus poterit suspensi, tanquam non idoneus ut in terminis ratiocinatur Passerin. de stat. homin. tom. 2. quest. 187. art. 1. n. 193. & 194.

Addo ulterius, quod poterit Confessorius Regularis ab audiendis confessionibus suspensi, si contra prohibitionem Episcopi, Sacramentum penitentie, vel Eucharistiae ministret, Mulieribus, quæ ad illa recipienda accedunt, mammillis, & pectore denudatis: quæ enim bonitas quæ discretio, & qui zelus honoris Dei, & salutis animarum potest esse in hujusmodi Confessario, & quæ excusationem, allegare posset, si tales admittere non erubesceret, forte, quod res sit indifferens, non egrediens terminos vanitatis, amabo de hoc breviter videamus, qui sentiant DD:

Primo, Sacra Scriptura in Ecclesiast. cap. 9. dicit - averte faciem tuam à Muliere compta, propter speciem Mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiscentia, quasi ignis exardescit. Si tantum valet Mulier compta, quantum poterit Mulier compta, & denundata mammillis.

Dionys. Cartusian. in 1. Epist. D. Petri art. 6. hæc habet-si Mulier se ornaverit, & vultus hominum in se provocaverit, quamvis nullum malum inde sequatur, tamen aeternum supplicium patietur, quia venenum proponavit, si fuisset, qui biberet, ex quo innotescit, quod sit mortale peccatum, non & talis discrimini se committit, nec revertur, quod ait Salvator vñ homini, per quem scandalum venit &c.

Tom. à Virgine Maria Concord. Evangelic. in Dominic. 3. post Pascha pag. 326. De Mulieribus comptis dicit: - Vestis una, & mundialis viam sternit ad inferni cruciamenta: rectè Cæsar Augustus vestium delicatum luxum, luxuria dixit esse nidum, quia aptissimus impudicis luxuriae fætibus procreandis nidus, vestes sunt delicatae, in hoc nido turpes supponuntur cogitationes, quarum calore foventur, ad vitam animantur, educuntur, adolescentur. Et paulo post: - Vestis ergo delicata ita ad libidinem deseruit, ut ad ignem concipiendum facilis esset fæni materia, vis luxuriae

O 4 flam-

flamas in immensum excrescere, apponenter illis delicati habitus materiam, & fiet intendit inextinguibile. Si hoc facit Vestis morbida, quid non faciet nuditas.

Graff. decis. aur. part. 1. lib. 2. cap. 121. nū. 16. Hæc ait-- Qui habitu, gestu, cantu notabiliter lascivo in ludo chorearum uititur, sicut fœminæ invercundæ pectora lascivæ nundant, peccant mortaliter. Verum de hoc pro certo judicare non possumus, sed standum est consuetudini patriæ. Hoc tamen pro indubitate tenendum est, quod quando ex illa inspectione probabiliter timetur periculum operis, vel cogitationis mortalis, peccatum mortale est, si advertendo quis non defiat, quia qui periculum amat peribit in illo.

Jo: Herolt. vulgò Discipulus Serm. de tempor. 83. litt. I. in fine, de Muliere damnata sequens refert exemplum -- Quidam Sacerdos pro Matre sua mortua multum se affligebat, & frequenter orando, & celebrando pro ea, cum autem quadam die celebraret, & desideraret aliquid scire de statu ejus, vidit, eam in Sporta juxta Altare detentam a duobus Dæmonibus, & ligatam: videbantur autem de capite ejus proximere Serpentes ignei, tanquam capilli, & bufo super pedes ejus circumcingens anterioribus pedibus collum ejus igneas flamas in faciem ejus spumans. Et si dictum est ei, quod inutiliter pro ea oraret, quia damnata esset, & addebat, quod has penas pateretur pro ornatu capitis, & crinum, sed bufonem super pectus ejus sustinere, propter denudationem colli, & mammillarum, & quod faciem suam coloravit, &c. (sunt verba Authoris.)

Summus Pontifex Innoc. XI. religione, & zelo clarissimus, prohibuit expresse omnibus, & quibuscumque Mulieribus, ne incederent per vias, & multo minus ingredierentur Ecclesiæ pectora, scapulis, & brachis denudatis, sub pena excommunicationis sibi reservata, quam voluit afficere, & ligare etiam illos Confessarios qui ausi fuissent, Mulieres contraventientes absolvere, prout patet ex Edicto in Urbe evulgato 30. Nov. 1683. quod per extensum refert R. P. D. Zaul. in suis obsérvo. ad Statut. Faventina lib. 1. rubr. 16. n. 77.

Clar. mem. Card. Petruccius Episcopus Aëfinas in Synodo eodem anno habita, & postea anno 1695. Typis edita in tit. de Sacram. Eucharistie, sic decrevit. Mulieres humeris, pectora, mammillisque & brachiis seminudatis accedere ad tantum Sacramentum non formidantes, Sacerdos constant cordis robore, ac Zelo munitus, Divino Sacramento non pascat, licet seculari nobilitate præfulgeant.

Clar. me. Card. Denkoff. Episcop. Cefenæ in sua Synodo anno 1695. Typis evulgata in titulo de Sacram. pœnit. prohibet hujusmodi Mulieribus beneficium absolutionis impendi, & postea inter casus sibi reservatos reposuit--ornatus invercundus Mulierum, quæ notabiliter nudatae, vel transparentibus tantum cooperae velis, accedunt ad Sacramentum pœnitentiae, vel Eucharistie.

Eminentissimus Cardinalis Boncompagnus Bononiæ Archiepiscopus in Synodo per eum habita, & Typis edita anno 1699. & præcedente iussu Sacr. Congregat. Concilii à supradicto clar. memor. Cardin. Petruccio revisa, & ab Eminentissimo Cardinali Sacripante tunc Congregat. Præfecto laudata, in tit. de rever. Eccles. exhiben. hæc mandat--Mulieres ad Sacraenta Pœnitentiae, & Eucharistie non admittantur, si notabiliter pectus nudatum ostenderint, aut brachia, Parochorum, & Confessorum erit onus castigandi licentiam, &c.

Ex his fit clarum, quod nudatio pectoris, & mammillarum, seu brachiorum Mulierum, non est res levis, & indifferens, sed sollicitatio ad peccandum, & occasio proxima peccati: alias enim, non potuisset Innocent. XI. corruptelam hanc prohibere sub pena excommunicationis, quam Ecclesia non infligit, nisi pro peccato mortali, & si Pontificis Edictum fuisset rigidum, illud Viri Consultissimi cum laude non referrent, prout faciunt Pignatell. consult. 35. numer. 27. tom. 7. D. Raynald. observat. criminal. tom. 3. capit. 28. §. 3. & 4. num. 1. Zaul. loco citato. Nec minus supradicti Cardinales Episcopi, doctrina, & pietate præstantes, Decretis Synodalibus potuissent jure repellere tales

tales Mulieres, cum à Sacramentorum perceptione arceri non debeant, nisi publici peccatores.

6 Dicendum est ergo, quod Mulieres ingredientes Ecclesias, & accedentes ad recipiendum Sacraenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, pectore, mammillis, & brachiis denudatis graviter peccant: tūm quia maximam irreverentiam ostendunt tantis Sacramentis: tūm quia sunt scandalo fidelibus videntibus: tūm demum quia, ut dicit *Cartusianus* supra allegatus, venenum propinuant, præbent occasionem peccandi, & abominationem inducunt in loco Sancto, quam si Confessarii removere non curant, meritò Episcopus illos ab audiendis confessionibus suspendit: estenim res propniosa, & ab omni loco, & præfertim ab Ecclesiis extirpanda etiam censuris, Raynald. *obser. crimin. suppl. ad cap. 1. suppl. 5. num. 376. & 377.* ubi plures allegat, Pignatell. *dicit. consult. 35. n. 30. tom. 7.*

7 Itidem posset Regularis Confessarius ab audiendis Confessionibus ab Ordinario suspendi, si doceret propositiones laxas: v. gr. quod Regulares Confessarii vigore suorum privilegiorum, possunt absolvere procurantes abortum fœtus animati effectu secuto, absque alia facultate Episcopi, prout docuit Amen. *de delict. & pen. tit. 7. §. 10. num. 34.* Est enim propositio falsa, quæ pugnat directè contrà litteralem dispositionem Bullæ *Gregor. XIV. Octavæ*: in qua quo ad absolutionem Censuræ incurſæ ob procuratum abortum fœtus animati Sedi Apostolicæ reservatæ olim, juxta Constit. *§. 7. Sixti V.* (quam Greg. in hac parte moderavit) hæc habentur.

Quilibet Presbyter, tam Sæcularis, Quam cuiusvis Ordinis Regularis ad Christi fidelium Confessiones audiendas, & ad hos casus specialiter per loci Ordinarium deputatus, in foro conscientie tantum, plenam absolvendi habeat facultatem.

Ex quibus verbis planum fit, quod nullus Confessarius, sive secularis, sive Regularis sit, potest absolvere à dicta censura, nisi specialiter ad hoc ab Ordinario, approbetur, ut tradunt, & advertunt Bonacini. *de censur. particular.*

extr. Bull. Cœnæ disput. 2. quæst. 2. punct. 10. n. 15. & 16. Gavant. in Manual. verb. absolutio n. 36. Amen. autem scatet aliis propositionibus erroneis, ut alibi in prima, & secunda Operis parte notavi.

Ab audiendis confessionibus suspendimus. Quamvis Judex in ferendis censuris debeat servare formam præscriptam in c. cum medicinalis de sentent. excomm. in 6. idest ut præcedat monitio, & feratur in scriptis cum expressione causæ, sub poenis ibi comminatis: hoc tamen non habet locum, nisi quando Judex Ecclesiasticus aliquem suspendit ab illo actu, qui suo jure competit suspenso, at quando suspendit ab actu: qui illi competit ex commissione ipsius suspendentis, tunc Judex non peccat, neque penas incurrit, si has solemnitates prætermittat, & idè simplex Sacerdos non habens curam animarum, qui jure suo confessiones audire non valet, protest sine scripto, & sine monitione suspendi, quia suspensiō hæc, non est propriæ suspensiō, quæ est censura, sed inhibitio, & revocatio concessionis jam factæ. Quare sicut Episcopus a principio simplici verbo, facultatem audiendi confessiones committere potuit, ita etiam potest simplici verbo illam revocaverit, utendo nomine suspensionis, ut in his terminis docet Sayr. de censur. lib. 4. capit. 2. num. 18.

Veruntamen si Episcopus Parochum ab audiendis confessionibus suspenderet sine scriptis, & sine expressione causæ, peccaret, & penas in *dicit. cap. cum medicinalis* inficias, idest suspensionis ab ingressu Ecclesiæ, & à divinis per mensem incurreret, quia in eo est vera. & propriæ dicta suspensiō, cum ei jus competit ex officio, Sayr. loc. cit. nu. 19. Et licet Guazzin. jun. ad def. animarum lib. 2. def. 6. cap. 41. nu. 7. teneat; quod episcopus ferens hanc censuram contra formam præscriptam in d. c. cum medicinalis peccet quidem mortaliter, sed non incurrat suspensionem, ex quo de ipso in textu non sit facta specialis mentio, prout requiritur ex dispositione cap. quia periculorum de sentent. excomm. magis tamen tuta, & fundata videtur opinio Sayr. loco citato, qua in *dicit. cap. cum medicinalis*, satis ex-

- explicit̄ mentio personæ Episcopi facta fuit in illis verbis. — *caveant autem Ecclesiæ Praelati, & Judices universi*, non est enim adhunc effectum necessarium, quod de eis mentio fiat per hoc nomen Episcopi, sed satis est, quod alio modo ex canonis sensu, & contextu comprehendantur, ut notat ipse Sayr. de censur. d. lib. 4. c. 12. n. 6. Quod autem propriè hoc nomen Praelati, conveniat primariò Episcopis, clare colligitur ex textu in c. decernimus de judic. ubi sic dicitur *decernimus, ut laici Ecclesiastica tractare negotia non præsumat.* Sed Episcopi, Abbates Archiepiscopi, & alii Ecclesiæ Praelati, quæ verba fraternizzant, cum aliis contentis in d. c. cum medicinalis supra recitatis, & tradit quoque Barb. appellat. 151. n. 1. ubi quod nomine Praelati propriè veniant Episcopi, & alii jurisdictionem ordinariam habentes, & quod solus Papa in præjudicialibus non veniat nomine Praelati.
- 11 Et propterea text. in cap. quia periculum de sent. excom. in 6. ubi decernitur, quod Episcopi nullam interdicti, vel suspensionis incurant sententiam, nisi in sententia sint expressi, debet intelligi de aliis interdictis, & suspensionibus contentis, & continendis in aliis canonibus, mandatis, & Constitutionibus, præterquam de expressis, & contentis in d. c. cum medicinalis, in quo per prædicta, Episcopi sufficienter sunt expressi, & nominati, ne videatur Concilium Lugdunense statim se correxisse; quæ juris correctio non præsumitur Barb. axiom. 60. nec de ea ex textu apparet: imo datur congrua inter unum, & alterum textum compatibilitas. Et licet glof. in d. c. quia periculosum verb. constitutionis tenet contrarium: adhuc tamen mihi videtur, quod si Episcopus per se ipsum, & non per suum Vicarium, procedat ad censuras, non servata forma d. c. cum medicinalis, dubium sit, an incurrat, nec ne, penas ibi statutas, ex rationibus supra deductis, quæ inclinare me faciunt cum Sayr. in partem affirmativam.
- 12 Hæc autem facultas suspendendi Regulares ab audiendis confessionibus, competit etiam Vicario Generali Episcopi, qui sicut, si sit Sacerdos, potest ex-

officio suo generali, absque alio speciali mandato, omnes Diœcesanos absolvere ab omnibus casibus, & peccatis Episcopo reservatis, & aliis committere, & delegare; quia est Ordinarius Diœcesis, ut de veriori sententia docet Sanch. de Matrim. lib. 3. disp. 29. nu. 15. Et cum sequuntur Barb. supra Concil. sess. 23. c. 15. num. 25. Gutier. eod. tract. c. 68. numer. 9. Ventrigl. in prax. par. 2. annot. 14. §. 1. n. 28. Pirhing. in jus can. lib. 1. tit. 28. n. 62. ver. his addit.: ita potest licentiam confessiones audiendi, suspendere, & revocare: ejus enim est nolle, qui potest, & velle. nihil tam naturale 36 ff. de regul. jur. Et si cuti. Notarios imperitos, etiam Apostolica, & imperiali auctoritate creatos, quorum peritiam Episcopus tamquam delegatus debet recognoscere, & scrutari, ex Decreto Concilii Trid. cap. 10. sess. 22. Vicarius Gen. auctoritate sua potest ab officio suspendere, Fagn. in c. quoniam num. 31. de offic. deleg. ita multo magis Confessarios, cum sit absolutè actus jurisdictionis ordinariæ.

De Suspensione contenta in novissimis
Decretis de Celebrat. Missar.
ab Innoc. XII. approbatis
anno 1697.

Alias de anno 1625. super dubiis exortis in celebratione, & reductione Missarum, illarumque oneribus recipiendis, & exequendis, emanarunt Decreta generalia S. Congreg. Concilii ab Urbano VIII. specialiter approbata; quia vero super illorum executione, & obliterantia, diversi irrepererant abusus: ideo illis iterum approbatis, & confirmatis ab Innoc. XII. alia Decreta novissima addita fuerunt, injunctumque fuit inter cetera, Rectoribus Superioribus, & Ministris Ecclesiæ, tum Sæculariū, tum Regulariū, quod non recipient onera missarum, sive perpetua, sive temporanea, sive manualia, quarum satisfactioni impares sunt, & quod debeant retinere Tabellam onerum patenter, nec non duos libros in Sacrario,

in

in quorum singula onera perpetua, & temporanea, in altero autem missas manuales distincte, & diligenter adnotare, & singulo anno de adimplemento, & eleemosynis receptis, Superioribus rationem reddere teneantur.

Quod si, ad quos cura Tabellæ, capsæ eleemosynarum, & librorum respective pertinet, seu pertinere debet, suam operam quinime navaverint, & Superiorum tum Sæcularium, tum Regularium Ecclesiærum, rationem prædictam non exegerint, seu non invigilaverint, quod præfati, qui in curam Tabellarum, & librorum incumbunt, suo muneri, ut præfertur, satisfaciant, in singulis respective casibus, Sæculares pœnam suspensionis incurvant, Regulares vero voce activa, & passiva, ac gradibus, & officio, que obtinent ipso

facto, & absque alia declaratione privati sunt, & intelligantur (sunt verba præcisa Decreti relati in Bulla confirmatoria Innoc. XII. quam per extensum dedi tom. I. in Appendix. pag. 346.)

Hoc Decretum Ordinarii locorum, & Superiores Regularium debent in Ecclesiis, & Oratoriis publicis onera missarum habentibus, & recipientibus notificare; quodque ut illud impressum, vel scriptum in loco Sacristerie patenti retineatur, decernere, & mandare: ne Ministri, Sacristerie, Priors, Rectores, & Guardiani, ignorantiam de eo allegare valeant. Quod si post notificationem, & mandatum per eos, ad quos spectat exequi curatum non fuerit, irremissibiliter absque alia monitione suspensos declarant modo sequenti.

Visitatio Sacristerie.

F O R M U L A X.

Reperto quod N. Rector, & Superior d. Ecclesiæ non retinet ibi paratum librum juxta mandatum, & ordinem injunctum omnibus Ecclesiærum Superioribus vigore Edicti generalis emanati sub die.... in quo libro adnotari possint, & debeant celebrationes missarum manualium, nec non eleemosynæ, quæ a fidelibus ad hunc effectum elargiuntur, contra formam Decretorum Sacr. Congreg. Concilii de celebrat. miss. ab Innoc. Papa XII. anno 1697. approbatorum, d. D. N. Visitator, illum tanquam in pœnam dd. Decretorum incursum, à Divinis suspensum declaravit, &c.

N. Visitationis Actuarius.

S U M M A R I U M.

- 1 Episcopi, & alii Prælati majores suspensionem canonis, aut statuti non incurront, nisi nominentur expressè, & num. 2.
- 3 Hoc privilegio gaudent etiam Cardinales.
- 4 Cardinales comprehenduntur in canone excommunicationem generaliter infigente.
- 5 Ordinarii negligentes exequi facere ea, quæ ipsis specialiter commissa sunt, peccant peccato omissionis.

- 6 Delegans, tenetur de negligentia, & facto delegari.
- 7 Prælati Regularium, omittentes exercere ea, quæ pertinent ad eorum officium, peccant, & tenentur de omissis, & commissis, & non solum de dolo, & lata culpa, imò, & de levi.
- 8 Episcopus non recognoscit adimplementum onerum missarum in Ecclesiis Regularium.
- 9 Regularis, si sit executor, sive fiduciarius Testamentarius, pro aliquo pio opere adimplendo, tenetur requi-